10.
80

INNOCENTIA TRIVMPHANS

IN SS. MM. 34-8-F-5-

IVSTO, AC PASTORE

GERMANIS FRATRIBVS

Exponitur ab

ANTONIO TICCIATO ROMANO

Cæteriſque Primanis.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, MDCXLVIII.

Ex Typographia Ludouici Grignani.

SVPERIORVM PERMISSV.

INNOCENTIA
TRIVMPHANS
IN SS. MM.
IVSTO, AC PASTORE
GERMANIS FRATRIBVS
Exponitur ab
ANTONIO TICCIATO ROMANO
Cæteriſque Primanis.

ROMÆ, MDCXLVIII.
Ex Typographia Ludouici Grignani.
SVPERIORVM PERMISSV.

Illuſtriſſimis Dominis
IOANNI BAPTISTAE
&
VRBANO
SACCHETTIS.

Franciſcus ab Annunciatione Fel.

P*VERORVM præconia vobis (Illuſtriſsimi Adoleſcentuli) offeruntur, Puerorum inquam, an Virorum? Imbellis ætas, Pueros: At incredibilis pæne conſtātia prædicat Viros; eorumq; Anteſignanos ad Pugnam. Sed ad Cælitum Iuſti, Paſtoriſq; celebranda præconia, Cælites deſiderarentur, non Pauperes. Quoniam verò præfertur: Horum (vel ſi dicas pueros, vel pauperes) eſſe Regnum Cælorum: aduocentur Pueri, aduocentur Pauperes, vt Cælitum laudes eorum perſonent linguis; veluti quondam pro Christo cruciatorum Infantium perſonuit fama, & ad Indos vſque tranſmiſit nomina. B ne quidē duo aduocantur ad Innocentiæ Triumphum,*

veluti duo fuere quondam accerſiti ad Thaboream gloriam conſpiciendam. Sed opportunius nobis ſubinde Triumphantem Innocentiam ſuſpicientibus, & admirantibus conuenit, quod de Petro dictum: Non enim ſciebat quod diceret: Maieſtas enim denigratur, ſi eam commendare velit Ignorantia. Hoc tamen factum vt authoris voluntatem, Eminentiſſimi Patrui; Parentumq; ſeruitio mancipatam agnoſcatis. Vobis autem offertur: quando ſeptennis Iuſtus, nouennis Paſtor, vt ab huiuſmodi Pueris diſcant in virilitatem adoleſcere Pueri. Faxit Deus vt detur aliàs Veſtrum adultorum ſimili pacto celebrare gloriam; Voſq; ambos inter Romana Sidera collocatos Orbem geſtientem videamus, & admirantem. Non indigebit dicendi copia tunc ætas adulta, quando nunc imbellis in veſtrum Alterutro laudandi ingenij non tenue ſuppeditat argumentum. Valete. E Scholis Pÿs S. Pantaleonis VIII. Idus Sextil. 1648.

INNOCENTIA TRIVMPHANS.

HABVIT Heſperia ſuos, vt Laconia, Geminos Heroas (Auditores Illuſtriſſimi) eò ſanè conditione meliores, quo fabulis veritas eſt ipſa præſtantior: Iuſtum ſcilicet, ac Paſtorem, quos nunquam digne ſatis commendare poterit inops ab eloquentia Piarum hæc Pueritia. Horum quippe Puerorum robur exili noſtro quomodo expendetur ingenio? Imperfecta ſiquidem eſt numeris trutina, quæ tanta poſſit præconiorum onera extollere. Non ipſa Demoſthenis verborum diceret affluētia: immo ipſa Ciceronis in dicendó ſuauitas claudicaret. Atqui his Cæleſtibus Geminis ſat erit noſtram nos in eorum res geſtas attingendas impendiſſe totam blaterando ſcientiam. A magnis Principibus libenter accipitur, quod elargiuntur infimi. Sed quorſum hæc dum ad rem properare nos ipſa calorum moleſtia concitat? Mirata quondam Hiſpania iuuenilem Puerorum fortitudinem (Aud.) in Ibero ſanguine commendauit infantiam, dum puerilem ob timorem effectam damnabat prorſus iuuentam. Qui Leones videbantur, cuniculos factos obſtupuit, dum cuniculi Leonum induti ferociam cum Tigride, Daciano ſcilicet, pugnare viſi ſunt, ferinumquè pectus deuincere. Haud Compluti ſub ipſo deſiderata, quæ in Numātinis pueris, ac ciuibus ſub Scipione fuit in patrijs ædibus defendendis viſa conſtantia. Vir ſiquidem Numantinus, qui catenis duceretur, nullus, præda, vt de pauperibus, nulla: nam om-

nia cum reliqua ſupellectili arma cremauerant. Triumphus tantum de nomine; nam quod in ipſo geſtaret triumpho præter ipſa mœnium ſaxa nihil habuit Rom. Populus. Sed Complutum in duobus pueris de iniquiſſimo Præſide triumphauit, triumphauit & Cælum clarius, dum adhuc inibi extare trophœa cernimus per ipſam, in qua militamus, Eccleſiam oſtenſa, & hic etiam erecta. O felices Pueros, quibus de huiuſmodi fera fuit reſeruata victoria! Calydonium robur exclamat ſilueſter Aper; Herculeos prædicat lacertos Nemeæum monſtrum: Perſeiam agilitatem experta marina Bellua; Corallijs ex emiſſo ſanguine natis adhuc illam oſtentat: Sed illuſtrior Compluti triumphus de præſide à Geminis pueris relatus. Viciſſe feras, magnum: ſed maximum, eos ſuperaſſe, qui ipſas domare feras, ipſas ſub iugo mittere, ipſas interimere potuiſſent. Dacianum profectò intra paucos dies Iuſti, ac Paſtoris ita ſubegit virtus, ac domuit; ita per eos in nihilum præſes interijt, vt in ipſo Complutenſi Prætorio Prætor ipſe pudoris cauſſa recluſus, requireretur, nec facile appareret: Plurimorum ſiquidem materia triũphorum. Vel ſi Vincentium Valentiæ; vel ſi alterum Abulæ cum Sabina, & Chriſteta; vel ſi Cucuphatem Barcinone; ibidemq; Eulaliam; Emeritæ alteram; vel ſi demum Cæſarauguſtæ Encratida cum decem, & octo militibus; nec non Maſſam Candidam recenſeas, & alios innumeros, qui de Tyranno hoc inſignibus actis triumphis ſuper ipſa volitarunt aſtra. Iam alibi immanis bellua ferociam exercuerat ſuam; Chriſtiano ſanguine iam tinxerat exertos vngues. Adhuc Innocentiam pertentare cupiebat, quæ minus alijs in partibus eluxerat. Complutum adit; inibi forum agit; edicuntur in timidos Chriſtifideles ſupplicia, ea ſanè, quibus vel maximè virilia pectora deterreri potuiſſent. Non enim deerant fidiculæ, non equuleus, non vngulæ, non candentes ferri maſſæ, quæ corporibus admotæ innoxios diſcruciarent artus. Quicquid excogitatum immanitati; dictu quicquid horrendum, aderat. Vel ipſe Dacianus aderat cuiuſque pœ-

narum generis machinator ipſo Diomede Thracio dirior, Mezentio crudelior, Procuſte ſæuior. Abdita tum loca quærere Fideles, ſpeluncarum tuta, montium viſcera, ſepulcrorum muta; cuncta tamen Dacianæ calliditati peruia. Dumq; pietas hæſitare videbatur, tanto..m oppreſſa tormentorum aſpectu: En Pueri duo, in quibus triumphare ipſa peroptauit Innocentia; Tyrannum adeunt voluntarij, ſe Chriſti profitentur aſſeclas, immania deteſtantur edicta; artus exponunt vel breues, vel teneros pro fide cruciatibus. Haud cippos, haud neruos extimeſcit Innocentia, vel excruciata nitet magis in ipſis aurum imitata fornacibus. Quid Præſes agat in tanto diſcrimine? Ab vtroque victus alibi ſexu, ætatem expertus variam, decrepitam, ſenilem, virorum, ac iuuenum; nunc Puerilem reformidat audaciam: Quod ſi vincatur à Pueris; maius inde ſibi ſurgat opprobrium. Propria tamen puerorum tentaturus ſupplicia, taureas iubet explicari, vt earum ſonitu puerilis exhorreſcat auris, earum ictu teneri cõtremiſcant artus. Impie quid excogitas? Nũ ad verbera deficient Pueri, quos armat Innocentia? Inter ipſa ſolidantur animi, dum membra pulſa flagellis purpuraſcunt. Non indigent Prætexta, qui ſanguineis irrigantur Mæandris: immo his in terris illa depoſita, triumphalem accipient in Cælo Trabeam. Nulla inibi diſcriminatur ætas; dum non Togæ diuerſas faciunt ætates, ſed merita. Iam cruentantur artus, ſed non mutatur animus: tabeſcunt in Præſide viſcera, dum puerilia membra lætè tepeſcunt in ſanguine; ſed non hebeſcunt formidine. Elephantos imitantur, qui viſo cruore magis accenduntur ad pugnas. Complutum igitur aufugeras, Daciane, ne vincereris à Viris; en quomodo te iſtic Pueri exagitant. Alibi ſi iactura maior, iſtic ignominioſior. Deliteſce miſer; neque ad Vrbem acceſſeris, iam hic reſonant Puerorum triumphi, quos iſtic damnaſti capite. Minus ad alia progreſſus eſt (Auditores) Supplicia Nero alter: nam quo diuturnior in Pueris cruciatus, turpius in Præſide fuiſſet detrimentum, vt glo-

rioſior in illis futura victoria. Excepit Lapis genuflexos pueros; quos proijciebat homo: vt à lapide diſceret humanitatem homo, lapidis duritiem indutus. Dedidicit hic ſæuitiem; quam imbuerat è ſaxeis Numinibus Dacianus. Sed iam lingua puerilis obmuteſcat, dum ipſi lapides ad eloquium emolleſcunt. Quænam laus ingentior, quam quæ à mutis rebus exhibetur? Et hoc mirum, vt ipſa cautes eloquatur amplexa Germanorum poplites: dum os meum hic conticeſcere in tanta miraculi nouitate iubetur. DIXI.

Antonius Ticciatus.

CARMEN.

NON tibi Muſa, noui Hiſpani celebranda triumphi
Materies capitur, veteris ſtat gloria belli
Sed non commendata ſatis: Tum lingua puelli
Texere quid poterit, ſapiens ſi concidit ætas?
Suggere tu Clio, ſaltem quod magna referre
Argumenta vetant, geſtarum attingere tantum
Hic rerum permitte parum; tu cætera pange.
Occiduas quondam à Latio Dacianus in oras
Iuerat, vt præſes magno pro Cæſare ſceptra
Imperij regeret, cunctas frænaret & Vrbes.
Tunc edicta foro ſuſpendi hic imperat, illic
Tolli de medio crudeli cæde fideles
Qui dicant, Chriſtumque, animis euellere tentent
O dira impietas! pro veris falſa coluntur
Numina, calcatur pietas, mendacia regnant!
Aufugère omnes quod mente inuaſerat alte
Terror in Heſperia cum baccharetur Erynnis.
Sin ſtabilis fugit, imbellis dominabitur ætas,
Quæ vincet rabiem; formidatamque, Tyranni
Exceptam pedibus puerilis proteret iram
Virtus: & toto ſemper fulgebit Olympo.

A Cum

Cum Paſtore puer currit de nomine Iuſtus,
Compluti quos ambo dedit feliciter Vrbe
Vna parens, Chriſtum & teneros inſtructa per annos
Imbuerat; forteſque, adeunt bacchantis vterque
Ora Ducis, Chriſtique aſſeclas ſe ore fatentur.
Inter Barbaricas ſuetus tranſire cohortes
Nunc vincere pauens Pueris ductuſque, triumpho
Incaſſum priſcos plorabis largiter annos.
Impauidos ad prima duos veniſſe Tyrannus
Prælia Germanos ſtupuit, timuitque, Puellos.
Ante Valentinas expertus in incude vires;
Virgineum Emeritæ tenero ſub corpore robur;
Atque alibi ſtabiles alios miratus Iberus
Heſperias letus ſpolijs properauit in vndas,
Irrorans non vber aquis, ſed ſanguine ripas,
Antea quem præſes varijs effuderat aruis.
Corripit hic Pueros, verbiſque, minacibus iram
Conceptam expromit. Conſtanti at mente Puelli
Exultant, luduntque ſibi præpoſta ſeueræ
Inſtrumenta necis. Stant imperterrita ferro
Corpora, quæ virtus armat, non cedere ſueta.
Obiurgat, promitque minas, feritatis, & arma
Explicat, vt teneros vertat Dacianus in artus.
Nil prodeſt, vitæ quod ſpem melioris haberent
Ambo. Libet ſuperum Celeſtia tecta tueri;
Illic & ſocia in medijs ſpectare triumphis
Pectora carorum, comites quibus eſſe peroptant.
Continuo Pueros vltrix accincta flagellis
Barbaries quatit inſultans, & terga nefandis
Verberibus ſignat: Tenero de corpore mollis
Sanguis abit, rubroque, rigat molliſſima ſulco
Membra ferus lictor. Tua ſed quid proficit ira
Impie, ſi Pietas rudibus ſe oſtentat in annis
Tam fortis, tua ſi ſpernunt tormenta Puelli?
Ictibus in medijs colludunt: tincta cruore

Mem-

Membra magis Fratres animant, maiora ferendo
Exſtimulant. Vinci timidus ſed Præſes, vt enſe
Candida diſtricto lictores colla recidant
Imperat; affectuſque, probro ſe condit in aula.
Quid rigor ille prior, tumidi quid verba, minæque,
Horrenda dum fronte dabas, fecere Tyranne?
Ecce necem impauidi tolerant, imbellis & ætas
Te ſuperat cogitque, domo pudor ipſe recludi.
Te cruciat bius, ſed eos cæleſtis honorat
Aula, ſinuque, fouet tranſmiſſus ab Arce
Siderea Cœtus; te Tartara nigra morantur.
Felices Pueri! Bellè pugnaſtis vterque
Et veſtra Infernas vicistis cæde caternas.
Iam vos aſtra manent meritos; æterna ſuoque
Excipiet gremio ſublimes Gloria, Cælo
Inſeret, ambo pios communis laurea currus
Velabit, dabit & radios in ſole tueri
Et propiore frui Diuorum luce perenni
Tempore; ſic poſcit veſtros qui purpurat artus
Sanguis pro Chriſto teſtis, veſtrique, labores.
Poſtulat & quoniam cæleſtis Regia paſſos,
Ite per Aetherios feliciter ite receſſus,
Vnanimi, quorum debentur ſidera fatis.
Cardinibus Cæli pandentur clauſtra recluſis
Vobis: Quando emitur ſola Virtute triumphus.

Ioſephus Fettus Florent. cecinit

ODE

O D E

In Lapidem, qui emolluit, dum genua S.S. Iuſti, ac Paſtoris excepit.

M. Antonius de Anſelmis.

QVIS vos, ò Pueri, promeritos, Choris
Præſentes ſuperis eſſe perenniter,
Dignè carmine dicet;
Quamuis Mæonius ſenex?
Hic Helles populos laudibus extulit
Ad muros Phrygiæ, cum fera prælia
Vnus ferret Achilles,
Hoſtes exagitans ſuos.
Illi quæue fides, qui caruit fide?
Num, quæ non oculis vidit, ad exteras
Gentes alite certò
Tranſmiſit ſtabili notâ?

Aloyſius Blauettus.

Aſt Ophitis adhuc eloquitur, gemens
Qui veſtrum gremio fouit amabili;
Eiecitque, ſeueram
Aſer duritiem lapis.
Dum paruos rigido marmore poplites
Curuaſtis: teneros Petra dedit ſinus
Et dum Præſes in artus
Sæuibat, quaſi carnifex;
Ceu nutrix, timidos cum ſibi paruulos
Amplexu reſouet, quos agitat canis:
Vlnis illa benignis
Excepit, daret vt Polo.

Bernardinus Agratus

Iam vincit Libycos heu, ſilices homo
Prauus duritie. Quid facient feræ?

Carnis

Carnis membra terentes,
Dum ſunt mollia marmora?
Naturam lapidis Tantalis induit,
Cum caros lacrymis ſquallida Liberos
Deploraret ademptos;
Et Phryx plorat adhuc lapis.
At nunc Heſperio dant lapidi oſcula,
Naturam qui hominis lenior induit:
Hunc & floribus ornant,
Qui flores habuit ſinu.

DE SS. IVSTO AC PASTORE MARTYRIBVS

SAPPHICVM

Io: Bapti-ſta de Vecchis.

SVME tu, Clio, cytharam, canoro
Effer ac horum celebranda verſu,
Quos vides lauda, Pueros in aſtra
Peruolitantes.
Ne Lyra quemquam recinas doloſæ
Gentis: Hiſpanum decus at Camœnis
Hic duplex nobis reſeras, duplexque
Sidus Olympi.
Non in vmbroſis Heliconis oris
Facta tu dices, veterique Pindo.
Veritas ſemper ſuperat loquacis
Ficta poetæ.

Paulus Scarlati-nus.

Nonne pugnantes Pueros Tyranno
Sub fero quondam meminiſtis, ò Vos,
Qui libros docti placide prioris
Voluitis æui?

Non

Non minis illos potuit cruentus
Præſes, ad nutus neque permouere
Is ſuos flagris. Timet haud flagella
Viuida virtus.

Ille ridentes videt, obſtupetque,
Tabidus fortes: medijsque, lætos
Ictibus. Nunquam teret Innocentes
Fraus inimica.

Claudius Grugnaiius.

Lictor Infantum cruciat tenellos
Sæuiens artus: Pia ſed coronat
Aequitas ambos. Daciane, ab illis
Cedito victus.

Taureis vinci nequeunt Puelli
Ambo, quos Virtus ſolidat; ſeueram,
Hi necem ſpernunt melioris æui
Munere certi.

Tu dabis pœnas miſer, ac ad atros
Inferi fluctus, reuolutus ignes
Inter atroces, gemitus daturus
Siſyphus alter.

EPIGRAMMATA

In lapidem, qui emolluit dum genuflexos Martyres excepit.

QVEM cernis lapidem inſculptum de poplite Diuum,
Non hoc ars fecit, Praxiteliſque manus:
Sed Pietas, Pueros quæ excepit cæde necandos
In ſubterpoſito marmore facta parens.
Quid Daciane ſtupes? Chriſti dum Martyras angis:
Mitior vnda maris, mitior ipſe lapis.

Andreas Franc. de Menianis.

In

In Cælum ingrediuntur Candidi, & Rubicundi.

QVI Cæli conuexa cupit ſuperare, neceſſe eſt,
Induat vt veſtem, compoſituſque toga:
Iam candor ſatis eſt luſtrali factus ab vnda;
Clarior aſt intrat, quo nitet ipſe magis.
Additur à Diuis pro Chriſto ſanguis, vterque
Candidus, & Cælum ſic Rubicundus adit.

Thomas Franciſcus Berretta

Inter verbera fortiores fiunt.

CÆDVNTVR *flagris Pueri mandante Tyranno,*
Vt cedat diris ictibus icta fides.
Non hæc concutitur; ventis immota reſiſtit
Sic quercus, facilis nec mouet aura iugum.
In Pueris nitet illa magis: ſic ignibus aurum.
Excoquitur; flammis lucidiuſque nitet.

Iacobus Philippus Torregianus

Idem Argumentum.

VERBERA *cum adhibes; ſcuticas &, Dire, lupata*
Cædis, & intortis candida membra loris?
Non his molleſcunt animi quos viuida virtus
Armat, quin pœnis fortior illa manet:
Si cædis magis hos ſtimulas, vt ad Aethera currant:
Ad metam currit ſic ſtimulatus equus.

Petrus Balabenus

Illu-

Illuſtriſſimis Dominis

IOANNI BAPTISTAE
ac
VRBANO
SACCHETTIS.

EPIGRAMMA.

AVSPICIIS iam læta nouis hac æde Iuuentus
Progreditur, Proceres cum videt illa ſuos.
Quos Cælo miretur habet, votiſque precetur:
Dum Phlegethontææ perſurit ira domus.
Sed Quos his terris habeat, noſcatque Patronos,
Alite fælici nunc bene ſorte datur.
Sic Pelagi tractus tranſibit tuta periclis,
Quando hic Stella duplex, Stella duplexque Polo.

TRIVMPHVS
A PIÆ PALÆSTRÆ PRIMANIS
habitus.

In Feriјs Sextilibus 1648.

PRINCIPES
Maiores.

Paulus Scarlatinus Roman.
Io: Baptiſta Ciocchellus Romanus.

PRINCIPES
Minores.

Petrus Balabenus Romanus.
Martinus Solon Romanus

OPTIMATES.

Iacobus Philippus Torreggianus Romanus.
Claudius Grugnalius Rom.
M Antonius de Anſelmis Senenſis.

STRENVISSIMI.

Angelus Bartolettus Rom.
Io: Baptiſta de Vecchis Romanus.
Thom. Franciſcus Berretta Inſuber.
Vincentius Frezza Roman.
Carolus Biſaiga Vercellēſis.
Petrus Ginellus Senogallen.

EX PVERIS OPTIMATES.

Antonius Ticciatus Roman.
Ioſephus Fettus Florentinus
Horatius Antonettus Lucenſis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.